

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
MEDICAMENTIS RESOL-  
VENTIBVS PRÆCIPVE  
TOPICIS.

QVAM  
AVCTORITATE GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
PRAESIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE  
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET PHI-  
LOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM  
ET PETRIPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-  
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS  
SODALE

PRO  
DOCTORIS GRADV  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE  
CAPESSENDIS

AD D. OCTOBR. MDCCXLIII.  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS  
MICHAEL SEIVERT

CIBINIO-TRANSSEYLVANVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICÆ  
Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad Typogr.



DISSENTATIO IN PRAECIPUIS MEDICAE  
PARTIBUS  
MEDICAMENTIS RESOL-  
VENTIBUS ET RECIPVE  
TOPICIS

IN PRAESENTIA  
HONORABILIS CAESARIS ORDINIS MEDICI  
PRÆSIDII  
DIOVANNIS HENRICI OSCHVALZE  
MEDICINÆ DOCTORIS ET ANNO DOMINI MDCCLXXII  
ACADEMIÆ PRAECIPUIS PARTIBUS  
LIT. PRAECIPUIS PARTIBUS  
PRAECIPUIS PARTIBUS

DOCTORIS GRADU  
AUGUSTINI DE MEDICINA HONORABILIS  
PRAECIPUIS PARTIBUS  
PRAECIPUIS PARTIBUS  
PRAECIPUIS PARTIBUS  
PRAECIPUIS PARTIBUS  
PRAECIPUIS PARTIBUS  
PRAECIPUIS PARTIBUS  
MICHAEL SEIVERT  
PRAECIPUIS PARTIBUS

HABER MANUSCRIPTO  
LITERIS IOAN. CHRIST. HILGEM, ACID TYPOG.



L. D. E. F.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MEDICAMENTIS RESOLVEN-  
TIBVS PRÆCIPVE TOPICIS.

PROOEMIUM.



Corpus humanum viuum est subie-  
ctum, aut, si maui, obiectum  
medicinæ, quæ hominem a dolo-  
ribus, variisque affectibus morbo-  
sis, aut immunem præstare, aut liberare,  
quantum fieri potest, pollicetur. Sunt autem  
illa, quæ in nos incurfant, & vitæ sanitatiquè  
incommodant, ac periculum afferunt, tam  
varia, vt innumera dici possint: certe nume-  
rata a nemine medicinam per tot sæculorum  
decursum professo fuerint. Quamquam enim  
obseruando didicimus, dari certas accidenti-  
um morbosorum, ad similem finem decur-  
rentium, syndromas, quibus aliqua veluti es-  
sentialia perpetuo adsunt; vnde genera mor-  
borum antiquitus constituta & denominata

A 2

fuc-

fuerunt: ita tamen hæc viris in exercitio artis versantibus cognoscuntur sæpe variantia, & a priscorum traditione discrepantia, vt semper aliquid noui & a pridem obseruatis diuersi annotent. Quid vulgatius est febribus, quæ quotannis obuenire solent, tam intermittentes, quam continentes, benignæ vel malignæ, sporadicæ vel epidemiæ? Quotus autem quisque est, qui, non dicam intra longum præseos suæ exercitium, sed intra vnus anni decursum, non obseruet quam diuersa patiantur, qui morbo eodem affligi videntur. Quando enim primum ingruunt populares febres, quod veris plerumque fit initio, ad continuarum indolem fere inclinant, ac symptomata aliqua grauiora, modo hæc, modo illa, coniuncta habent; quæ, mense forte vno transacto, non eadem, aut eodem gradu affligunt. Effecit hæc res, vt clarissimi medici, a THOMA SYDENHAMO primum excitati, singulorum annorum epidemias constitutiones, in sua quisque patria, annotarent, & obseruarent, quid ex communibus causis, corpora isto loco afficientibus, potuerit ad diuersitates illas contribuisse, & quid subsequutas mutationes vel  
in

in melius, vel in peius, effecerit. Si vero illæ communes causæ, quibus se nemo subtrahere potest, aut paucissimi possunt, diuersas morborum quasi modificationes faciunt: non minus certe id obtinet de corporum, quæ a morbo corripiuntur, diuersa constitutione. Multum enim refert an morbo aliquo correptus humores laudabiles in corpore suo gerat, an corruptos illos labe aliqua venerea, scorbutica, aut quacunque alia cacochymia: & a morbo pectoris inflammatorio minus periculi imminet pulmonibus optime constitutis antea gauiso, quam qui eosdem a prægresso aliquo morbo vel vlcerosos habet, vel vomicis & grandinibus repletos. Pariter renum simplex inflammatio facilius tollitur, quam calculosis concrementis excitata. Quorsum hæc allata tendant, a me deinceps explicandum est. Scilicet quotidie videmus medicis contingere, vt aliquibus vno eodemque morbo laborantibus, integram valetudinem restituant; alios, quamquam eadem methodo tractatos, languentes & in diuturnum morbum lapsos doleant, quosdam etiam ad plures abeuntes lugeant. An artis hæc opprobria, aut artificum delicta? Id vulgus

mub

A 3

male-

maleuolum, & in pessima iudicia semper pronum, subinde arripit, ac pro merita gratia obicit & tralatitio sermone iactat. Non equidem excusauero omnes ac singulos medicinam facientes; immiscent se enim huic ordini tot ardeliones, qui nihil minus quam rationalem medicinam didicerunt, ut otio abuterer, si ostendere vellem omnes querelas, inde ab Hippocratis æuo ad nostra tempora, fructu caruisse, planeque desperandum sit fore ut hæc pestilentia medicinam admittat. Sed dicam pro medicis, qui iudicio & rerum intelligentia pollent, omnibusque viribus satisfacere officio nituntur, quod sæpe excidant exquisitissimo studio suo, nihilque efficiant, vel eo, quod abstracti morbi latentes rationes non recte coniectura assequuti, & similitudine decepti fuerunt, vel quod profundius radicatum malum fuerat, quam ut medelam admitteret: vel denique, quæ frequens causa est, quod rectis consiliis locus non fuit, & clandestinæ medicationes, subinde etiam casus aliqui plane fortuiti, irritam fecerint omnem diligentiam, fructumque abstulerint. Inter illa autem, quæ intus latent, & felicem curationem impediunt, admodum



dum frequentia sunt humorum quædam coagula, quæ vel in sanguineis vasis subsistunt, vel in lymphæ ductibus & glandulis, quas traicere ea debet, vel in visceribus secretoriis, eorumque excretoriis ductibus: aliquando etiam extra vasa hærent ac subsistunt, & nisi emendari tollique possint, graua incommoda fouent aut producunt. Talibus plerumque innituntur diuturni morbi & pertinaciores, ac nisi sublata fuerint, felicem curationis euentum frustra expectamus. Abeunt potius in grauiora indies mala, & tandem illum gradum contingunt, a quo nulla medicina, aut vix tamen deiici possunt. Id ne fiat, ante omnia efficiendum est per efficaces medicinas resoluentes & diætam, quæ excludat omnia malum augere apta, resolutorium vero scopum adiuuet. Hæc cogitans non inutilem operam me nauaturum existimaui, si de medicamentis resoluentibus cum cura dispicerem, eaque familiarius nosse allaborarem. Quæ igitur pridem de hoc argumento meditatui fui, in chartam conieci, vt pro specimine studiorum academicorum publice exhiberem legenda. Cogitaueram ea mihi scriptione non tam celeriter opus esse futurum,

turum, adeoque eam distuleram: sed nunc præter spem citius, quam optaueram, auocatus, minori otio ad digerenda illa & expolienda gauisus sum. Quare beneuolum lectorem officiosissime rogo, velit subitæ commentationi condonare, si alicubi minus plene de hoc argumento egisse, aut aliqua sicco pede præteruisse visus fuero.

## §. I.

**R**esolutionis vocabulum in schola medica ab antiquissimo tempore receptum est. Denotat autem alicuius corporis, quod antea fluidum fuerat, sed ex illa natura degenerauerat, in pristinum fluiditatis statum reductionem. Est enim terminus relatiuus, cui opposita est notio coagulati aut compacti: proprieque adhibetur in therapia, ad designandam illam actionem, quam intendimus remediis ad id idoneis, vbiunque vel terreo-calcarea lapidosa concrementa, vel mucida, aut mucoso-pinguia disiungi debent, vt in circulum humorum sensim abripi, & quicquid humorum vltiori confortio ineptum est, ad congrua emunctoria deduci queat.

## §. II.

Differt hæc resolutio therapeutica a solutione chemica, quando dura corpora, vt metalla, adhibitis liquoribus, ad quodque eorum requisitis, ad statum fluiditatis redigimus, vt in illis, amissa pristina figura formaque

maque sua, natent & fluant, ita permixta, vt quæuis soluti particula soluenti menstruo adharefcatur, & in eo natet, donec vel abstracto menstruo conspicuum solutum reddatur, vel eodem alterato, aut obiecto alio solvendo, prius solutum præcipitetur. Etiam diuersa intelligitur ab illa assumptorum ciborum resolutione in ventriculo, quam physiologia considerat, qua olim structa extra corpus nostrum, vt carnes animalium, olera, fructus, radices vegetabilium, ope menstruorum, quæ natura adiicit, vt & caloris inclusi, motusque peristaltici, in principia sua rediguntur, aut saltem ita disponuntur, vt ex iis exsugi deinceps educique possit, quod nouæ mixtionis, speciei ac indiuiduo congruæ, aptum est. Vocant hoc digestionem aut concoctionem: de qua nobis in hac tractatione nihil amplius dicendum erit.

## §. III.

Porro etiam differt resolutio ab apertione seu anastomosi, quæ denotat vasorum, tubulorum, meatuum, cavitatum, orificiorum ac pororum referationem, vt, causa obstructionis sublata, humores, quicunque trahere illuc debebant & excerni, viam effluxumque liberum nanciscantur. Potest enim intelligi, quod multæ referationes fiant absque præuia resolutione. Sic quando homo bene transpirans, immo intensiori illa excretionem gaudens, subito se exponit frigori humido, idque diutius perfert, poros infinitos per habitum omnem externum, perque tractum illum, quo aerem in pulmonem attrahimus & emittimus, ocludi multis conspicuis signis animaduertimus: eosdem autem breui sæpe tempore referari & priorem excretionem per apertos

B

tubos

tubos restitui, absque resolutione vlla therapeutica, obferuamus, si hominem aeri temperate calido & humido restituamus, quo fibræ a frigore adstrictæ relaxentur. Pari modo mensum a terrore aut subita perfrigeratione suppressio sæpe incidit: quæ, tempestiue adhibitis antispasmodicis, persæpe feliciter tollitur, sic vt fluxus, qui desierat, ex voto restituatur. Idemque de lochiis & hæmorrhoidibus dici potest. Sic plures alii dantur casus, vbi excretionem non tam materiæ ad exeundum ineptitudo, quam viarum arctissima constrictio, impedit: sic vt omnino latius pateat apertio seu reseratio, quam resolutio: atque hæc sæpe præmitti debeat, ante quam reserationem cum recta ratione expectare possis.

## §. III.

Quin adeo non idem sunt apertio & resolutio, vt hanc sæpe sæpius fieri intelligamus, vbi nullam vel suspicari vel intelligere possumus reserationem aut apertionem vllius excretorii ductus. Sic in sugillationibus & contusionibus, itemque quando venæ sectæ sunt, conspicui sæpe tractus conspiciuntur a sanguine suffuso tumentes & caruleo transparente colore insignes. His tamen resolutia, tam interna quam externa, tempestiue adhibita, sæpius optatam ferunt opem, absque eo vt vlla percipi possit excretio per apertos poros contingens. Scio aliquos esse, qui eiusmodi therapiam a resolutione disiungendam putent, ac discussionis, remedia autem, quibus id præstatur, discutientium nomine appellanda existiment: sed quum eadem, quæ discussionem præstant, resolutionem etiam efficiant: non possum videre necessitatem hæc a se disiungendi: vereque dixisse existimo

BOER-

DE MEDICAMENTIS RESOLVENTIBVS &c. 11

BOERHAAVIVM *de virib. medicament.* quod omne discutiens sit resoluens. Vnicum mihi videor discrimen agnoscere, quod discutientia potissimum sanguineis congestionibus stasibusque debeantur, in lymphaticis autem alia plerumque requirantur, tam remedia, quam ordo, modus & gradus in applicatione: de quo mox erit plenius atque distinctius differendum.

§. V.

Sed age videamus quænam ex rebus præternaturalibus & quam varia sint, quæ resolutione indigent, ut deinde discipere possimus quibus medicina præfidis ad illam indicationem perendam instructa sit. Initium faciemus a coagulis mucosæ terrestribus seu tartareis, quæ hinc inde in visceribus & cavitatibus, immo etiam aliquando in artubus coeunt; ut & glandulis subinde innascuntur, ut in maxillaribus, atque illis colli, sæpe notatum est in strumosis hominibus. Inter viscera frequenter talia patitur hepar, parte sui concaua, qua sunt ductus bilarii, qui in hepaticum coeunt. Viderunt enim & annotauerunt auctores anatomie practicæ, non solum passim per ramos ductus hepatici concrementa lapidea; verum etiam crustam quasi tartaream superficiem eius internam omnino obducentem. Eiusmodi calculosa concreta aliquando per ductum hepaticum descendunt, sæpeque, vbi maiora sunt, obhærescunt, & præter magnos ac sensibiles dolores, ictero originem præbent. Pariter in vesicula fellea multoties reperiuntur calculi maiores minoresque, plus minusue compacti ac duri. Sequit exc. D. D. PRAESES, præceptor & hospes meus ætatem colendus, Altorfii typographicæ officinæ socium, cuius

eius tota vesicula fellis, quanta erat, binis magnis calculis repleta erat, qui simul spectati magnitudinem oui gallinacci excedebant. Alii minores, centenário numero plures, sæpe viderunt & ari incidendos curauerunt, aut alias litterarum monumentis consignarunt.

## §. VI.

Testantur hæc vitia de corruptione bilis, eiusque influxum, naturali oeconomia tantopere necessarium, impediunt: vnde non possunt non grauissima & fontica mala consequi, quæ facile æstimabit, qui vel bilis necessitatem ad chylicationem & sanguificationem cognouerit, vel cogitauerit quantum iecur lædi debeat, si humori, quem tam notabili copia ex sanguine appellente secernere debet, exitus negatur. Nam cum a secreto illo in vltimis vasorum venæ portæ ramulis lymphæ deinde discedat, & in vasa sua abducatur: fieri non potest, quin illius simul secretio & excretio impediatur. Ex quo accidet vt hepar magnitudine, vltra naturalem modum, inferciatur: quemadmodum in illo typographo Altorfino XII. libras p. c. excedebat. Quod si vero non sit æque vniuersalis illa ductuum aut obstructio, aut effluxus interceptio, particularis fiet iecinoris infarctus, deinde induratio, quæ singula chronicorum affectuum, mali hypochondriaci, icteri, cachexiæ, hydropis, matres fiunt.

## §. VII.

Porro in viscere renali frequentissime concresecere lapidea coagula, ex mucositate humorum & salino terrestri cruditate coalescentia, nimis notum est. Descendunt illa nonnumquam sabuli forma: alio tempore maiorum

maiorum lapillorum, rotundæ vel oblongæ figuræ, modo. Vt plurimum in angustis vreterum obhærescunt, dirorumque dolorum causa fiunt: aut in vesicam immis- si, & per vrethram deinde descendentes, tormenta haud exigua creant. Si autem in vesica subsistant, & accre- mentum quotidie accipiant, bone deus, quam misere mulctant infesti hi incolæ hospitem suum, vt grauissi- mam & doloris ac periculi plenam curationem perferre malit, quam diutius cum hoste illo intestino viuere. Illa denique concrementa tophacea, quæ arthritide ve- xatorum ligamenta in articulis exsudent & sub cute de- ponunt; quanquam melius fuit sic post magnos dolores excerni, quam detineri; in futurum tamen nihil leuant, sed eandem tragœdiam suo tempore adornaturæ sunt eo- rundem causæ, in corpore remanentes; nisi resolutione sufficienti occurratur, & omnis minera excindatur.

## §. VIII.

Quemadmodum vero concrementa lapidea, in or- ganis bilem vel elaborantibus vel continentibus, non so- lum per se in vitio sunt, & alia plura producunt, qui- bus magis magisque lædimur: ita eadem vrinæ viis in- nidulata, præter dolorum dira tormenta, quorum fa- cile obliuiscuntur, qui illis defuncti sunt, vitæ præsens periculum aliquando minantur. Scilicet si vel calcu- lus, pelui aut vreteribus impactus: nullo modo vel re- tro agi vel promoueri potest, vel vrethrae pari conditi- one inhærescit, molestæ vrinæ suppressio, sæpe tan- dem funesta, exoritur: aut si alterutri tantum vreteri in- hæreat, vt ex rene, a quo ille descendit, secretum lo- tium deriuari nequeat: renis illius tantopere infarcti tu- nica

14 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA.

nica exterior secedit & lotio impletur. Magnæ sic vesicæ, vero lotio impletæ, enascuntur: quæ, si non immi-  
nuatur malum, sed subinde augeatur, tandem ruptæ  
hydropis causâ & origo fiunt. Si quis talia in dissectis  
cadaueribus nondum obseruauit, & conuinci de asserto  
nostro velit, iniiciat in arteriam renalem, quemcumque  
velit, humorem, & repletionem vrgeat: videbit, vel  
expectatione citius, vesicas tales, quales enasci scri-  
psimus.

§. VIII.

Satis apparet, quam fonticum sint malum concre-  
menta calculosa, in quacunq; parte corporis subnata &  
delitescantia. Vt autem consideremus & perspiciamus  
quid cum recta ratione moliri therapia possit, vt reso-  
lutio impetretur, paucis inquirere in causas & originem  
eorum iuuabit. Et duo imprimis hic nos ducent phæ-  
nomena, quæ a certa experientia suppeditantur. Ali-  
qui calculosi sunt ab hæreditaria dispositione, geniti a  
parentibus podagricis & calculosis, illis eorum annis,  
quibus, iam multum in morbis his prouecti, effoetos &  
prauos succos ad generandum & in vtero nutriendum  
foetum contulerunt: alii fiunt calculosi victus vitio. Quod  
vltimum negari tanto minus potest, quo certius est da-  
ri regiones, longosque tractus, qui abundantem victum  
pluribus etiam lithotomis suppeditant: quum aliis deus  
hoc dederit, vt plane nullus ibi requiratur. Magisne in  
ciborum vitio causâ hæreat, an in potulentis: an vtraque  
conspirent ad lithogenesis, accuratissime indagare  
nunc non licet. Credo in aquis & vinis, spirituosis-  
que potibus, victu autem ex multis lacticiuiis, caseosis,

vt



vt & carniū, præcipue iuniorum animalium, valde gelatinosarū; oleraceorum autem vegetabilium nimis parco vsu, multum esse situm: quo si accedat hæreditaria dispositio, & inconsultus rerum, quæ lithontriptica putantur, vsus, tanto celerius consequetur prauus effectus.

## §. X.

Quod seorsim attinet ad calculos in hepate crescere solitos & in vesicula fellea generatos, pridem b. D. D. BOERHAAVIVS annotauit apud Belgas, quod vix obueniatur hiberno tempore maectatus bos, cuius hepar aut folliculus fellis careat concrementis calculosis. Si autem rediit tempus, quo in pratis pasci possunt recentibus plantis, suborta primis diebus diarrhoea expurgantur: atque hoc facto si maectentur, nulli supersunt in hepate tophi, nulli cholelithi ex cystide colliguntur. Confirmat hanc experientiam vir experientissimus D. D. KRAMERVS *medic. castrens. chirurg. part. II. p. 176.* cuius verba digna videntur, quæ hic exhibeam. Boues in Hungaria, qui in syluis degunt, quando rigida hyems riuos & fluuios congelauit, potu destituuntur: & quicumque in illis regionibus saginantur boues, foeno & gramine abundant: de potu suppeditando nulla cura est. Hi omnes, tempore hiberno maectati, hepar & cystidem felleam gerunt lapideis concrementis repletam: quam primum autem ad pascua gramine recenti abundantia redeunt, resoluuntur hæc concrementa calculosa. Certe Viennæ, vbi quotannis multa millia bouum consumuntur, res hæc est compertissima. Atque idem etiam in equis fieri, illisque recentium herbarum pabu-

pabulum pro medicina esse, se certo experimento apud illustrissimum quendam comitem in Moravia conuictum profiteretur.

## §. XI.

Docent hæc ortum calculorum ex defectu fluidi sufficientis, atque cibi terrestrioris copiosiore ac longiore vsu: simulque ostendunt facilem & certam medicinam, quæ animalibus hisce sufficit, ad reddendam valetudinem. Atque vtinam possimus in hominibus æque facile expedire hoc negotium. Sunt tamen multa testimonia, quod victu crassiore, atque potulentis saturatoribus vsis saluti fuerit, si se ad aquas aut cereuisias diluiores contulerunt: quodque multis theæ potus, repudiatis vinis dulcibus, magno fuerit solatio. Sed docti medici plantarum recentium insigne beneficium hinc didicerunt. Notæ sunt commendationes herbarum emollientium & radicum aperitiuarum, vtique satis antiquæ. Sed nescio quæ sit credulitas inconsulta, quæ talium exsiccatorum, & vt plurimum cariosorum, vsui fident. Nihil certe boni fructus ab illis dictis emollientibus siccatis & decoctis: sed eadem recentia, olerum instar appa-  
rata & frequenter adhibita, præclare iuuant, & non solum aluum lubricant, sed humorum fracedini emendandæ succurrunt. Pariter illæ radices aperitiuæ siccæ, quanquam non carent sua efficacia, & minime contemnendæ sunt: plus tamen emolumenti dabunt si illæ apii, sceniculi, petroselini recentes ad vsum vocentur: asparagorum autem vt & lupuli, rusci, rubiæ, eryngii, atque ononidis tenera atque mollia, quæ vere primo erumpunt, germina turionesue vel iusculis incocta vel acetarii

cetarii forma assumantur, non semel iterumque, sed quamdiu anni tempus talia exhibet. Quibus deinde succenturiari poterunt plantæ lactescentes edules, adhuc teneræ, earumque radices, vt cichorii, taraxaci, intybus, lactuca, similesque, quas vetustas serium nomine complexa est.

## §. XII.

Quam præstans sit fructus, quem talia corporibus a morbis præseruandis, & ab iisdem iam prognatis vindicandis, afferunt, si tempestiue adhibeantur, satisque diu, sepositis aliis, continuentur, pridem nos docent Heluetii, qui succos plantarum recentium, primo vere prognatarum, frequenti vsu adhibent: de quo nos maxime instruit D. D. ZWINGERVS in *dissert. de plantis nasturcinis*. Sed inter recentissimos nemo magis illis se fidere testatus est celeberrimo D. D. BOERAAVIO, qui pluribus locis sui *de materia medica* libelli inter resoluentia hæc exserto digito commendat: in *prolegomenis* autem *ad comment. prædic.* de se refert, quod hepar scirrhosum & calculis referum omnino curauerit succo taraxaci, longo tempore cum iusculo quodam, bis terne quotidie sumendi. Idemque auctor tam in chemia sua, quam alibi, locis pluribus testatur, se experiendo didicisse succos vegetabilium, atque fructuum horæorum, bene maturorum, esse saponaceæ coniunctiæ ac deteriuæ indolis, sine miscela coagulantis, si acidis & austeris demas: quod prærogatiuam talium præ nostris essentiis atque tincturis, ob spiritum vini utique coagulantibus, in clara luce ponit.

## §. XIII.

Post hæc blandissima & prope diætetica resoluentia paucis

paucis etiam dicendum est de aliis, quæ arte præparata sunt, & laudem multiplici experientia suffragio consequuta. Sunt hæc potissimum salia media, non tam ex acido minerali exorta, quam ex vegetabilium acidis lixiuosis combinata: vt terra foliata tartari eiusque liquamen, tartarus tartarisatus, itemque tam acetum vini, quam succus citri lapidibus cancrorum aut conchis obsaturati: quorum magnus vsus est, siue ex tempore mixta porrigantur, siue liquamen detur, siue pulueres acido isto macerati & ficcati propinentur: modo ea detur quantitas, quæ mensuram remedii expleat, & crebro repetatur. Succurrunt his diluentia, quantum satis est, subiuncta, vel ii, quos supra laudauimus, vegetabilium succi, vel infusa pugillaria aut decocta, ptisanæ, vel denique serum lactis, tandemque aquæ minérales, quarum vsum copiosum, & simultaneam ingurgitationem, quando viæ nondum præparatæ sunt, recta ratio prohibet, & experientia coarguit, quæ multos, ad improvidum vsum deductos, in hydropem mortemque præcipitados, quotidie obseruat.

## §. XIV.

Saponacea porro laudanda sunt, quorum conspicua virtus in coagulis lapideis resoluendis indies magis comprobatur. Ipse sapo, ex purissimo alcali & oleo oliuarum puro, aut, si mauiis, amygdalino coctus incomparabile est remedium ad icterum, etiam antiquum, continuato vsu tollendum: siue in pilulari forma exhibeas, siue lacte solum præbeas. Venetum aut Alonensem, seu Alicanti-num, præstare aliis certum est: cum adipibus & seuis facti, quales sunt Germanici, lotricibus relinquuntur. Sed non solum bilis coagula resoluit, verum etiam calculosa renum

&amp;

& vesicæ concrementa: cuius virtutis documenta, quum Angli vidissent a Johanna Stephens apud se crebrius edita, publico honorificoque præmio arcanum redemerunt, & ad omnium notitiam perduxerunt. In quo saponem omnia efficere, cetera autem vel abscondendi remedii, vel destructionem eius impediendi gratia adiici, manifestum est, & a D. D. PRÆSIDE in dissertatione de lithontrip-tico Anglicano clare ostensum. Sed & idem remedium, si quicquam aliud, ad concrementa rophacea arthritico-rum egregie valet, tam resoluenda, vsû æque interno ac externo, quam, si diu continetur, & reliqua diæta recte instituta sit, ad minuendos & mitigandos totius mali recursum annuos. Quin virum tam nephritide quam podagra diu vexatum, cum ab articulis morbus inconsulta arte repulsus esset, & iam extrema imminere viderentur, saponaceorum interno vsû, diu continuato, ita restitutum esse memini, vt iam per alterum annum satis commode degat. De externo vsû saponis suo loco dicam.

## §. XV.

Saponi subiungo saponacea, quæ id nomen habent, quoniam in illis, æque vt in saponæ, alcali cum oleoso pingui coaluit, & effectum saponi analogum in combinandis aquosis ac pinguibus præstant; sicque apta sunt, quæ coagula ex pingui & gelatinoso-mucido facta subeant, atque resoluant, vt ab affluente humido in circulum successiue abripi & auferri possint. Huius generis sunt, quæ in officinis prostant, modo bene saturatæ semper essent, tincturæ alcalinæ. Parum puto referre an illæ cum antimonio vel crudo vel vitro eius, vel regulo, eoque simplici aut martiali, aut venereo, magisque composito, paratæ sint,

an cum solo cupro. Omnis ars in eo consistit, ut alcali bene causticum fiat, aliquo metallico additamento & diurna ignis tortura impetrandum, atque spiritus vini probus siccissimo & calenti adhuc magnati affundatur, & quantum satis est, digeratur. Istiusmodi tinctura, si ea adiuentur commodis fluidis, ut infusis, decoctisque, & in phlegmaticis aqua calcis viuae secundaria, satisque diu continetur earum usus, in coagulis resoluendis plurimum valent, eduntque conspicuum effectum, aliquando diapnoicum, saepius diureticum. Sed ad terrestria calculosa coagula non aequè valent, quam in mucilaginosi ac lymphatici.

## §. XVI.

Quin adeo nec ipsa acida, quamquam ex Sylvianis placitis inter coagulantia primo loco ponuntur, & reuera multis experimentis extra corpus institutis taliaprehenduntur, carent egregia virtute resolvente, praecipue in calculosis concrementis. Apparet hoc in pulvere lithontripico Augeniano, qui nihil aliud est, nisi pulvis millepedum, spiritus vitrioli bona quantitate imbutus: ut & in elixir acido Dippeliano, quod est spiritus vini oleo vitrioli maritatus, & granis Kermes ac curcuma tinctus. Cuius medicinae egregiae sunt utilitates in nephritide calculosa, ut & arthriticis atque podagricis optime condeit, non solum dolores mitigando, vnde ab aliquibus sedatiuum Archæi vocatur; sed etiam in calculis resoluendis: quod plus simplici experientia comprobatum est. Visi enim sunt calculi, qui antea solidi & duri prodibant, porosi & friabiles prodire; tandem prouentus omnino desit. Porro etiam pridem notus est spiritus asthmaticus Michaelis, qui nihil est nisi spiritus æruginis, id est bo-

num

DE MEDICAMENTIS RESOLVENTIBVS 27

num acetum vini destillatum. Talia autem omnia in partem talium concretorum terream proprie agunt: saponacea autem in mucilaginosam, quæ terreas partes conglutinatas tenet.

§. XVII.

Progredimur ad considerationem coagulorum mucido gelatinosorum, quæ caseosa etiam vocare possemus; a particulis chyli crudioribus in sanguinem impulsis, quæ defectu motus, tam intestini laudabilis, quam voluntarii sufficientis, non fuerunt satis attenuata. Ex quo fit ut passim in glandularum colatoris subsistant, easque inferciant. Non raro obueniunt istiusmodi vitia in infantibus & pueris, crasso & prauo victu utentibus, multumque ingurgitantibus. Glandulae ad collum tunc intumescunt, saepe stupendum in modum, atque bronchiales, ad singulas diuisiones bronchiorum sitæ, simili coagulo infarctæ & præternaturalem in modum auctæ videntur, ut supremæ ouum columbinum æquent, subsequentes ad proportionem minores, instar pisorum ac cannabini seminis, inueniantur. Si disseces illa corpora, obueniet in altera earum parte, qua scilicet lymphæ ingressus est, magnus folliculus, dimidium totius tumefactæ glandulae æquans, totus infarctus materia instar casei recens pressi, aut gypsi mollioris: reliqua portio fibrosam glandulae structuram exhibebit. Vix autem unquam tales in collo ac pulmonibus inuenias, quin mesenterium etiam similibus, saepe longe maioribus, refertum sit & oblitum.

§. XVIII.

Faciunt istiusmodi tumores & infarctus non vnius generis vitia in corporibus. Nam quum lymphæ a capitis

partibus refluxura impediatur, aures inde manantes frequentissime fiunt, oculi etiam lacrymantur & rubedine suffunduntur. Respiratio redditur difficilis: vasa pulmonum, inter tam tumida corpora cursum suum habentia, comprimuntur, vnde sanguis stagnat, tandem in stasin per aliquot vasa abit, quibus inflammatio lenta, suppuratio, exulceratio pulmonum, phthisis inducitur. Quod si pulmonibus & collo liberis mesenterium tantum obsidetur, fit atrophia, abdomen intumescit, hepar ac lien vario modo vitiantur. Aduersus hæc mala nihil æque valet, ac diætæ in melius mutatio, deinde exigua medicina resolvens plus efficit, quam exquisitissima curatio per medicamenta sola posset. Plerumque autem mercurialia hic requiruntur: vt æthiops mineralis, aut mercurius dulcis. Lenta curatio & successiua esse debet, atque infusa aut decocta subiungere aut interponere oportet. Atque hæc fere in infantibus puerisque sufficiunt: certe sapius sufficisse visa sunt. Vbi autem virili ætati talia contigerunt, & glandulæ lympham ab hepate & liene recurrentem transmittentes obduruerunt, etiam non vanam spem in mercurialibus ponemus, sed lenta & prouida manu exhibendis, subiungendo decocta vel succos vegetabilium: de quibus supra monuimus.

## §. XVIII.

Coagulorum gelatinofo-lymphaticorum illud genus, quod in vasis sanguineis coit & fere in auriculis & columellis carnis ventriculorum cordis affixum hæret, nomen polyporum gerit: & vt multorum in actionibus vitalibus incommodorum mater est, ita nescio an medellam recipiat plenam, nisi forte aliquis tempestiue aduocatus



catus fuerit medicus, qui nascenti malo efficacem medicinam opponat resoluentem. Qualis autem sit, quæ hanc laudem mereatur, sero cognoscetur, quum viuo homine non sit certissima polyporum diagnosi, neque cum certitudine dici possit, quod aliquis, curatus a molestiis, quas a polypo ortas credidimus, reuera illis laborauerit. Instantaneam esse eorum originem, si quis diurnis syn-  
 copis, strangulationibus, (vt feminæ hystericae) obnoxius fuerit, aut si sub vndis diutiusmersus circulatione caruerit, itemque si graui terrore percussus diu sine medicina fuerit, si magna frigora perpeffus, aduersus ea spirituosos humoribus large assumtis pugnauerit, si denique vehementi cursu fere exanimatus, torusque anhelus, quieti se subito permiserit. Tali casu optimum fuerit illico assumere medicinam aliquam resoluentem, vt essentiam pimpinellæ, vincetoxici, valerianæ concentratiorem, acri tincturæ antimoniali remixtam, & vehiculo sufficienti adiuuandam: aut succos herbarum resoluentes, interque has acriuscularum, vt nasturtii, raphani, lepidii: illorumque vsum satis continuare. Si tempus malo ad se confirmandum permiseris, vereor vt amplius aliquid impetres, nisi vt forte vltiora accrementa impedias: quod & ipsum tamen non esse contemnendum puto.

## §. XX.

Mere mucida coagula potissimum inueniuntur in partibus ad nares & asperam arteriam pertinentibus: ea-  
 que vel in cauitate aliqua collecta & inclusa, vt sinusbus frontilibus, ethmoideis, sphenoidæ, maxillaribus; aut in sinuosis foueis glandulorum corporum, quæ tonsillæ aut antiades vocantur: vel ductuum excretorio-  
 rum

rum ab aere frigido humido constrictorum folliculis, qui inde expanduntur & extenduntur in omnem dimensionem, sicque grauedinem & rauicitatem producent. Deinde in intestinorum longo tractu, vbi iterum vel iam excretus, & superficiem obducens ac quasi inuestiens, mucus, incrassatur sæpe, vt aliquam membranam mentiatur, vel in folliculis excretoriorum concluditur, vt subinde longi tractus intestinorum, præcipue crassorum, reperiantur, vbi inter membranam internam ac externam musculosam hærent aliquæ vesiculæ, piperis grani magnitudine, tenaci muco repletæ: vnde fieri puero, vt in nonnullis obueniunt mucosæ, quasi granolæ deiectiones, spermati ranarum quam simillimæ: quo facto sæpe longorum & difficilium morborum, vt colicarum diurnarum, febrium quartanarum pertinacium, melancholiæ, radices sublatæ sunt. Resolutioni talium, si in narium cauis hæreant, adhibenda sunt aliquot diebus anticatarrhalia: deinde vapore calido patienter admissa, profunt errhina & sternutatoria. Si in trachea sint, eadem cum humectantibus adhibenda: deinde acriuscula afferenda sunt, inter quæ syrupi de erysimo Lobelii, cum lacte aut sero lactis, sæpius spectata fuit efficacia.

## §. XXI.

Ad illum autem in intestinis hærentem officium faciunt salia media deterfiua, vt tartarus vitriolatus, tartarificatus, sal Anglicanum, vel aliud ex fontibus mineralibus factum, & copioso fluido adiutum. Quæ si nondum satisfaciunt, veniendum est ad illa acriuscula, pimpinellam albam, radicem ari, ireos Florentinæ, quin ipsum piper & Zingiber: tandem subiungenda erunt acriora purgantia  
vel

DE MEDICAMENTIS RESOLVENTIBVS 25

vel per os exhibenda, vel ano infundenda: vbi colocynthis, prouido tamen vsu, facit operæ pretium. Forte etiam saponis vsus continuatus hic erit commodus. Vix efficiemus hic, quod ipsi & ægrotus optamus, nisi purgantibus efficacibus humores commoueamus, vt ampliati excretorii ductus a tergo talium affundant intestinalis laticis copiam, qua tenax mucus a parietibus, quibus adhæret, resoluatur ac quasi auellatur: motusque peristalticus, notabiliter intensus & excitatus, exprimat lentum succum in folliculis suis hærentem, & per angustos poros haud exiturum, nisi constructio & pressio aliqua accedat. Ipsa natura nos docet hanc esse necessariam viam: quippe videmus multos, torminosi deiectionibus a mucro repurgatos, deinde longo tempore satis commode degere & tormentis suis carere.

§. XXII.

Progredior ad coagula illa lymphæ specifica, quæ a miasmate venereo fuerunt seminali systemati primum inducta, hinc autem, nisi mature obuiam itum fuerit, toti deinceps corpori affricantur. Coagula hæc esse nemo dubitauerit, qui ex vrethra effluentem humorem considerauerit. Memini cuiusdam ægroti, cui quinto ab accepta inquinatone die, non sine maxima prægressa pressione in perinæo & ossis sacri regione, tandem succedebat excretio materiæ simillimæ lacti, quod per tres quatuorue dies stetit & acorem contraxit, caseosamque substantiam coagulata præbet. Hanc credo fuisse liquorem feminealem prostatarum, qui non sine maximo nisu exprimi ex porulis suis tandem potuit: si non prorsus fuit in vesiculis seminalibus contentum semen, contagiosa viru-

D

lencia

lencia coagulatum & corruptum. Præter autem hoc phænomenon, coagulatiuum virus cognoscitur ex atheromatibus atque steatomatibus hominum hac lue infectorum: de quibus vel verbum addere superuacuum fuerit. Resolventibus autem opus habet pariter propriis & specificis, quæ experientia longo vsu comprobauit.

## §. XXIII.

Sunt autem illa, quod cognitissimum est, præcipue ex mercurialium atque antimonialium familia: quorum priora plerumque ad saluationem tendunt, & in grauiori malo, vbi celeri auxilio opus est, consultissime illam viam, quippe certissimam, eligimus. Sunt tamen etiam ex illis aliqua, quæ saluam non concitant, resolutorium tamen optabilem effectum, conspicuo fructu emendationis æstimandum, edunt, absque vlllo tumultu & conspicua euacuatione, per solam diapnoen. Talis est mercurius dia-phoreticus, sensu therapeutico fixus: nam chemico examine talem non inuenimus. Deinde æthiops mineralis, quem laudatus D. D. KRAMERVS *in commerc. litterar. physico-med. Norimberg.* asserit sufficere grauissimæ lvi percuranda, si diagrydio sulphurato exstimuletur. Sunt autem talia necessario adiuuanda infusis & decoctis idoneis, ex vegetabilibus mox laudandis. Deinde etiam antimonialia hic faciunt operæ pretium, præcipue illud dictum sulphur auratum, quod D. D. KLVNIGVS ante reliquos celebrat: vt & tincturæ illæ antimonij acres alcalinæ, quæ tamen per se solæ rem vix absoluent: conspicue autem iuuant, si decocta accesserint. Tandem etiam mercurius dulcis, coniunctus sulphuri aurato; quod remedium ante sæculi decursum Germanis nostris probe notum,

vt

DE MEDICAMENTIS RESOLVENTIBVS 27

vr ex obseruationibus SCVLTETI apparet, nouam nunc famam nactum est per acta medica Edimburgensia. Celebratur titulo remedii alterantis mercurialis Plummeriani: vide *Act. phys. med. A. N. C. Vol. V. pag. 453.*

§. XXIV.

Inter vegetabilia, quæ ad resoluenda coagula hæc conspicuum fructum afferunt, præcipua sunt, & a duobus sæculis ac dimidio celebrantur, exotica illa sarsaparilla, china & lignum guaiacum; quæ decoquenda sunt, & cum regimine exhibenda, simul obseruata accurata lege cibandi, quæ adeo circumscribit omnem luxuriam, vt tantum sustentandæ vitæ sufficiat assumendus cibus: potus autem omnis, nisi secundarium decoctum prædictarum specierum, ægrotanti demitur. Ex domesticis plantis eidem scopo commodissima inuenta & cognita est saponaria, de cuius laudibus ante omnes videndi sunt ZAPATA & SEPTALIVS: porro etiam radix bardanæ & scrophulariæ multum laudari merentur: quibus alii plura ex domesticis adiciunt, de quorum tamen efficacia non æque perspicua rerum testimonia ad me peruenerunt. Solent aliqui illis intermiscere purgantia, vt apozemata illa per epicrasin laxantia reddant: maximeque illo scopo laudare solent hermodactylos. Non inefficacia esse talia decocta, sed effectum resolutorium edere, satis docere potest decoctum antipodagricum Viennense, quod fere ex similibus paratur, nisi quod ad decoquendum vinum aquæ mixtum assumitur: quod venerea coagula resoluturis nondum placuit. Quamquam autem talium decoctorum diuturno vsu multi curantur: melius tamen res succe-

## 28 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

dit, si antimonialia aut mercurialia prudenter cum illis socientur.

## §. XXV.

Concludimus hanc recensionem resoluentium, quæ intus exhibentur, breui commemoratione eorum, quæ resoluendi scopo adhibentur, vbi sanguinea coagula vel impedienda sunt, vel corrigenda & resoluenda. Accidit huius rei necessitas præcipue in lapsis, contusis, vulneratis, quando cum ratione veremur, ne aliquæ portiones euacuatorum per vasâ continuitatis læsionem passa humorum intus subsistant & in corruptionem abeant. Non dicam de illo, qui antiquitus celebratur, puluere contra casum, non contemnendo si rhabbarbari maior quantitas sumatur, & cum aceto exhibeatur: nec de vnguento potabili rubro, quod pariter antiqui vsus est, & a plebeis, experientia edoctis, primo fere loco adhibetur, antequam medicum tali casu sollicitent. Empiricum vere remedium, sed nunc plurimum medicorum laudabili cura certius exploratum, est arnica, cuius decoctum præsentem fert opem, & plerumque cum aliqua manifesta excretionem: sed non sine præuia anxietate insigni & doloribus fere intolerabilibus, vt animam videantur agere. Ex quo factum est, vt medici ab imperitis accusati traductique fuerint, tamquam medicinis drasticis & periculosis ægrotos suos tractent: vnde non pauci timidiore facti sunt, vt vel plane arnica abstineant, vel vix audeant simultanea dosi famam suam calumniis exponere. Pro arnica quibusdam locis adhiberi gentianellam audio, quæ saponariæ paria facere videtur.

## §. XXVI.

Mitiora, neque tamen contemnenda, sunt resoluentia,

tia lapides cancrorum, aut conchæ præparatæ, cum aceto exhibitæ, ac sæpius repetitæ. Deinde aqua catapultaria, (dicta *Eaud' Arquebusade*.) quam Berolinensium medicorum acta docent frequenter intus adhiberi, sexies, octiesue intra diem & noctem, vnciæ vnius quantitate. Vbi res moram patitur, infusa pugillaria ex herbis floribusque, vt cherefolii, floribus bellidis, sambuci, arnicæ, addita radice tubiæ tinctorum, operæ fieri pretium posse, experientia docet: quibus subiungi aut interponi vtiliter potest vnguentum potabile rubrum, quod præter adstrictoriam tonicam facultatem, qua tali casu potissimum opus est, lenientem etiam a butyro exserit: modo recens, aut saltem nondum vetustate rancidum, proset & porrigatur. Etiam balsamum Locatelli, patrum memoria celebratissimum, huc referre licet.

## §. XXVII.

Hactenus de resoluentibus, quæ malis intus hærentibus adhiberi possunt, loquuti sumus: nunc tandem progredior ad illa, quæ topica dicuntur, & exterius loco affecto applicari possunt. Strictim hæc breuiterque expedienda erunt; quoniam temporis angustia hanc partem plenius exsequi prohibuit, quum vel præcipue eam tractare constituissimus. Non autem solum destinata & commoda illa sunt in superficie hærentibus incommodis, quibus omnino proxime conueniunt: sed vltius etiam diffundunt vtilitatem suam, & interioribus partibus magnum subinde leuamentum afferunt. Experti hoc sunt complures hypochondriaci, icterici, febre quartana diuturna laborantes, colici: quibus post irritum vsum diu adhibitorum medicamentorum interiorum, magna suble-

uatio, aut integra curatio, ab externis allata fuit. Atque ut hinc exordiamur, fuit ante hos decem annos in hac academia candidatus medicinæ, quem hypochondriaca pathemata diu vexauerant, tussi tantum non conuulsiva de-  
 tentus, simulque quartana febre ultra biennium afflic-  
 tus, cui D. D. PRAESES mense Decembri liberationem ab his omnibus malis procurauit, quum forte per duas hebdomadas vsus fuisset emplastro quodam resolvente ex saponato officinali & splenetico Aquapendentis. Indicabat scilicet tussis illa hypochondriaca mali sedem: cui adhibita hæc commoda medicina resoluens & antispasmodica, supra spem & opinionem, constantem medelam attulit.

## §. XXVIII.

Age igitur, videamus quid sit in his duobus emplastris, quod tantam exferere virtutem potuit. Spleneticum coquitur ex succis ebuli & nicotianæ, notissimis purgantibus, quæ violenter superne eiicere faciunt: illis conspirat non aequè quidem efficax, sed purgantis efficacie non expers, gummi ammoniacum. His cathartici admiscetur succus cicutæ, quæ interne adhibita mentem conturbat, maiori quantitate sumta narcosin exferit & homines ac bruta animalia enecat, somno profundo inducto. Iunguntur itaque hic cathartico-emetica cum narcotico, quæ sic coniuncta efficacissimam faciunt medicinam resoluentem. Nam anodina virtus a narcotico per cathartica correcto proficiscitur: ut videmus in sapientissimis compositionibus veterum ac recentiorum; uti theriaca Andromachi, vbi opium per scillam, & in pilulis Starckeyanis, vbi per elleborum album cicuratur & vere corrigi-  
 tur.



tur. Iam anodina virtus per poros corporis, quibus emplastrum impositum fuit, intus penetrans, spasmodorum vehementiam lenit: qua lenita & sublata humorum iam fit liberior & minus impedita circulatio. Sed accedunt simul actiua illa purgantium particulae, per easdem vias illatae, & motum stagnantibus & infarctis humoribus, simul etiam fibris motricibus, imprimunt moderatum & successiuum: ex quo consequi beneficium, quod hic, & similes aegrotantes, reportauerunt, mihi concipio.

## §. XXIX.

Accessit in emplaistro dicto saponatum, quod initio quidem praclare iuuat ad poros forte constipatos tenaci & compacta aliqua materia referandos, vt ceteris particulis ingressus paretur: deinde ipsas suas partes alcalino pingues intra corpus mittit, iisque coniunctionem fluidorum & pinguium efficit: qua peracta ipsa fluida nostri corporis appellentia viam sibi facile parant ad reliqua, quibus opus est, ex voto peragenda. Saepius cum iucunditate visum fuit, quam sit efficax hoc emplastrum saponatum ad durissimas alui siccitates & constipationes breui tempore expediendas: praecipue si faeces induratae in tenuibus intestinis haeserint, quo enematis accessus non permittitur: quumque sapo dissolutus & per os exhibitus pariter expugnet aluum durissime clausam; dubitari nequit, quin saponi introitus, per poros corporis absorbentes, ad interna pateat: quodque alia etiam medicamenta per eandem viam penetrare possint. Quod praestruendum duxi, ne quis dubitet dari istiusmodi ingressum ad interna per corporis superficiem: & ne quis putet, tamquam speremus fructum ab emplaistro regioni hypochondriacae imposito,  
recta

recta quasi linea subtus ad hepar aut lienem ferri posse aut debere. Possset vtiq̄ue, si qua causa vetaret ibi imponi, commoda alia regione applicari: sed D. D. PRÆSES, a quo hanc curandi rationem didici, circumdare emplastro tali omnem ab vmbilico ad scrobiculum cordis regionem iubet, deinde illud vtrinque circumducit, vt in dorso fines coniungantur, sicque omnis ambitus diaphragmatis contegatur: vnde effectus sese tam per abdomen, quam thoracem, celerius diffundit, tam in solidorum spasmō tollendo, quam fluidorum motu excitando, & resolutorio effectu impetrando.

## §. XXX.

Vidimus antea resoluentia quædam efficacia, quæ intra corpus sumra sunt, cathartico emetica. Inhærebimus paulisper huic tramiti, vt siluam talium vegetabilium perlustremus, visuri annon fere omnia, quæ sunt efficacia resoluentia, sint eadem aut purgantia & vomitoria? & an forte conuertere propositionem liceat, & quodcunque vegetabile minori vel maiori virtute purgante aut vomitoria pollet, idem aliqua virtute discutiendi ac resoluendi præditum experiamur, si vsum externum explorauerimus. Percurramus ordinem, & notiora primum lustremus. Offerunt se sambucus, ebulus, frangula, bryonia, cucumis asininus, centaurium minus, gratiola, vincetoxicum, bulbi omnes, gummi ammoniacum, sagapenum, galbanum, opopanax, iris Florentina & nostras carulea, asarum, sigillum Salomonis, hedera arboorea & gummi eius, terebinthina, & ex ea degenerante agaricum: nonne hæc omnia in censum resoluentium pridem

dem relata legimus, eorundemque nomina in catalogo purgantium aut emeticorum reperimus?

## §. XXXI.

Satis amplius videbitur hic catalogus, sed augeri multum potest. Sunt enim alia vſu cognita vegetabilia, quæ aut non ſuo loco habentur, aut apud nos vſu parum frequentantur. Et prioris quidem generis ſunt roſæ & liliū conuallium, a maioribus noſtris, qui forte nihil niſi odoris fragrantiam attenderunt, inter cordialia pridem relata. Sed experiri quiſque cupiens conuincetur, quod roſæ noſtræ pallidæ, quas centifolias vocamus, vt & liliū conuallium, vegetam vim purgandi poſſideant, quæ etiam in deſtillatum tranſit. Atque idem fere eſſe debet iudicium de violis. Vnde conſequitur flores roſarum, lillique conuallium totam plantam, vt & violas, præcipue ſi recentia hæc omnia ſint, adicienda eſſe reſoluentibus. Certe ſpiritus a roſis & lili conuallium floribus abſtracti illam virtutem egregie cuſtodiant, & ſimplici ſpiritu vini externo vſu multum præferri merentur.

## §. XXXII.

Minus cognitæ reſoluentibus, interno autem vſu vomitoriis, accenſemus betonicam, digitaſem, & ſedum minimum, quod piper murarium vocare ſolemus. Et betonicæ quidem virtus emetica in radice potiffimum eſt conſpicua: quam eandem medici mediæ æui cognitam magis, quam inſequuti, videntur habuiſſe. Nam cerato de betonica, quod etiam capitale vocabant, inſerendam illi iubebant radicem betonicæ, non herbam, quam poſteriores poſterunt. Quantam autem fiduciam virtutis eius habuerint, vel inde colligere poſſumus, quoniam non ex-

E

cuſari

cusari posse chirurgum putabant: qui in cranii vulneribus alio, quam hoc emplastro vsus fuisset. Equidem credo folia non omnino destituta virtute radicū emetica, adeoque resolvente: nam deprehenditur in illis vis sternutatoria, quam in purgantibus & vomitoriis tantum non semper inuenimus satis potentem: hic autem illa nec a salina quadam acrimonia, nec ab oleo acri deriuari potest, quippe quorum neutrum in sensus incurrit. Certe digna videtur hæc planta, in cuius veras vires accuratius inquiratur: nam quæ in centonibus botanologicis de ea leguntur, exigui sunt pretii.

## §. XXXIII.

Herba digitalis, quæ tam syluas incolit, quam horros cultiores varietate sua exornat, quam parum explorata fuerit, vel inde cognoscas, quod plurimis patriæ nostræ officinis deest. Vsum eius Britanni tanto magis frequentem habent, vt ex RATIO intelligitur, vt & LOBELIO: a quibus accepta D. D. GEOFFROY sui tractatus *de mater. medic. tom. III.* inseruit. Videtur primum a plebeciis ad notitiam medicorum peruenisse. Legimus enim rusticam turbam in Anglia huius decocto plantæ febricitantes curare, quibus interdum hypercathartes & vomitiones immanes cieat. Hæc adduxi vt appareat a quo principio fluat vis insignis resoluens, quam ab ea planta eadem gens reportat. Pridem in pharmacopœa Bateana legimus vnguentum digitalis, quod fit floribus eius recentibus butyro maiali iniectis & ad calorem solis satis diu maceratis. Commendatur locis serophulosis inungendis, cum breui encomio: *nihil equale.* Alii succum e tota planta expressum, ad humiditatis consumptionem cum butyro

tyro decoquunt. Plura, quæ ad vsum huius plantæ chirurgicum pertinent, legantur vel apud RAIM, vel D. GEOFFROY.

## §. XXXIV.

Vix aliquis, qui non experimentum cepit, crediderit quanta sit acrimonia vomitumque mouendi vis in exigua plantula, quæ muris tectisque nostris copiose innascitur, & rigidissimo frigori resistit, sedo vermiculari seu pipere murario. Succum eius ad vsum externum circa solstitium hyemale expressum in ædibus D. D. PRÆSIDIS aliquis ad paucas guttas deglutiuerat, vnde vehementes & plurimi vomitus oriebantur. Ratus ille id factum ob succi, qui valde crassus & concentratus erat, nimiam acrimoniam, ventriculum vellicantem & conuellentem, aliquot postea diebus eandem quantitatem, aqua multa dilutam capiebat, & non minus vomebat. Sed quod ab alio valetudinis incommodo se leuatum intelligebat, aliquoties iterabat experimentum, discebatque, quod utique primæ doses vehementius agant posterioribus, sed vomitoria virtus certa sit & perpetua. Illam præstruere oportuit, ante quam dicere aggrederer de insigni vi huius plantulæ resolutoria. Celebre est inter Gallos emplastrum diabotanon Blondelli, quod nostri chirurgi, qui in Galliam regis stipendiis missi fuerunt, familiare in histeris reddiderunt. In illo, præter alios plantarum purgantium & vomitoriæ succos, hic etiam assumitur, intelligendus vti que quando is ex illecebra præscribitur. Possent multa adicere, si tempus permitteret.

## §. XXXV.

Concludo itaque hanc partem de vomitoriis & purgantibus.

gantibus, si vnam hanc cautelam addidero, quod aliqua sint inter illa, quæ ob virtutem excessiuam & ad erosionem vsque procedentem vix adhiberi possunt externe, aut non sine magna cautela, vt quæ sunt ex tithymalorum genere, itemque euphorbium, & si qua sunt alia huius generis: itemque quod cum metallicis vomitoriam virtutem edentibus caute mercandum sit. Nam vt non omnia æque extimescenda sint, & circumspexitque peritus vir moderari ea possit: malui tamen nunc de illistacere, quam minus perspicue differendo periculosis erroribus ansam præbere. Generalis autem regula in his fit, vt a mitioribus ad mediocria, ab his, vbi opus est, ad generosiora progressus fiat. Nemo enim auellanæ frangendæ torcular requirit, aut lepufculo capiendo centum canes imminet. Semper conatus est mensurandus ex rei peragenda gravitate: quod paucis verbis non potest ita dici, vt ad singulos casus applicari possit.

## §. XXXVI.

Sed non sola sunt resoluentia, quæ emeticam aut catharticam facultatem possident: etsi sunt potentissima, & duro nodo diffringendo apta. Dantur autem, pro minori malo, proque tenerioribus corporibus, alia, quæ vel illis sufficiunt, vel si non sufficiant, prius dictis gradatim acui possunt. Hæc autem sunt illa, quibus balsamica oleosæ particulæ intunt, quorum sanguini ceterisque humoribus insinuata virtus eos ad motum promptiorem concitat, & simul solidis vegetius robur ad proprimendum illud, quod subsistit & coit, conciliat. Talia sunt quæ vocantur carminatiua, itemque cephalica, exterius admota, vt se per poros successiue insinuent. Cuiusmodi præcipue  
con-

conueniunt in partibus neruosis, glandulosisque, si quid ibi coit & tensione magnos dolores, aut sine doloribus tumores, in scirrhum abire minantes, format. Sic quando lac in mammis coagulatum tumores format, aut glandulae colli intumuerunt, melius pugnabimus istis carminatiuis & aliquantum anodinis, quam antea enumeratis resoluentibus generosioribus. Stricturis enim spasmodicis sublatis, reliqua facile subsequenter: omninoque scirrhosos mammarum tumores, pro caucris iam habitos, talibus paruiffe per exempla probatum est.

## §. XXXVII.

Inter resoluentia efficacia, quæ nec emeticam nec catharticam virtutem proprie edunt, sed poros traiciendo & eos referendo agunt, laudatissimus est mercurius uiuus, pinguedine aliqua aut terebinthina subactus, & emplastris immixtus. Visum fuit sæpius quod talia emplastra diu frustra inhæserint, nihilque spei nostræ respondens effecerint, donec fuerunt penetrantiora reddita additis oleo cornu cerni crasso, aut saponis vel laterino probe reificatis: quo facto luculenter cœpit apparere desideratus effectus. Ab antiquioribus fere tantum admiscebatur mercurius emplastro illi de ranis, quod IO. de VIGO docuit: sed nostro æuo subinde alia, quæ scopo conuenientiora iudicamus, vt diapalma, diachylon, de melilotto, de cumino, eliguntur. Debet hæc res diiudicari ex eo ac pars illa, vbi resolutionem molimur, magis vel minus neruosa est, aut ob stricturas dolorificas relaxatione tensarum fibrarum magis indiget, vel potius aliqua adductione & robore solidorum.

## §. XXXVIII.

Ad resolutionem etiam cum fructu subinde adhibentur vinum & spirituoſa. Et vel ſolum vinum imponitur contuſis, ſugillatis, fractis, vbi inſignis tumor & collectio humorum accedunt: vel incoctum ſpeciebus reſoluentibus, ex vegetabilibus tam purgantibus, quam cephalicis, oleoſas partes anodinas aut carminatiuas fouentibus: quod inſigni cum fructu fieri toto die videmus. Spiritus reſolutioni aptiores ſunt a talibus abſtracti, quæ vires catharticas poſſident, vt roſis, lilio conuallium: aut ab anodinis, qualis eſt theriacalis & matricalis. Illud tantum cauendum fuerit, ne frigida talia imponantur, deinde ne ſumme ſpirituosa, ſeu, vt loquimur, rectificatiſſima. Talia enim tam ſolida nimis adducunt & conſtringunt, quam humores, ad quos penetrant, coagulant: quod vtrumque reſolvendæ ſcopo repugnare, per ſe manifeſtum eſt. Diluendi igitur ſunt nimis fortes & concentrati. Solent aliqui camphoram his immiſcere; cuius vel immitendi vel in ſpiritu conſeruandi cauſa requiritur vt parum humididatis aqueæ inſit. Talem autem ſpiritum oportet linteis infundere, & ad fornacem calidam vel prunas calefacere illa, vt ſpirituosa potior pars auolet: vtique ſi ſuſſiſi humores cuticulæ proximi ſunt, & facilius coagulum ſubire ſic poſſint.

## §. XXXIX.

Reſoluendi etiam ac ſimul anodina virtute conſpicuus hic eſt crocus, cataplaſmatibus pulſiformibus immixtus & extra impoſitus. Aliquando operæ pretium facit ſpiritus ſalis ammoniaci, oleo quodam coagitatus in mortario, donec linimenti formam induerit: cuiusmodi  
 IIIVXXX 2  
 exſtat



exstat in dispensatorio Brandenburgico, sub titulo vnguenti albi resoluentis ad mammarum tumores: aliqui etiam ad tumores & tophos arthriticorum talia commendant. Sed in teneriori cute non diu adhibenda sint, ne exulcerent. Plura sunt in meis aduersariis pridem collecta: sed sciens multa cogor praemittere, atque hic statuere

F I N E M.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
S. P. D.  
**PRAESES.**

**A** compluribus annis in nostra vrbe degis & bonarum litterarum ac artis salutaris studiis sedulam fidelemque operam nauas. Mearum adium incola longo fuisti tempore, assiduusque comes, siue in auditorio partes medicinae interpretatus fui, siue aliquam ad elegantiores litteras pertinentem partem explicauit. Adstitisti in laboratorio aliquid paranti; mecum, si animum relaxare licuit, exspatiatus fuisti: indiuitio TE comite usus fui. Numquam non me delectauit TVA comitas, modestia & honestas perpetua. Vnicum est, quo me saepe tristem & sollicitum reddidisti inuitus, valetudo minus firma &

per

per vltimum annum saepe grauiter afflicta, vt de  
vita conseruanda sollicitus fuerim. Fecit hoc sub-  
inde remoras TVAE diligentiae. Sarcieendis itaque  
hiatibus privatissima institutiones satis value-  
runt, & intensius studium ea, quae detrimentum  
ceperant, explendi & consolidandi. Accidit tan-  
dem vt nobilissimorum parentum iussu aliquanto  
citius, quam volueras, domum reuertendi man-  
datum acciperes ante paucos dies: quibus ea, quae  
ad tam longum iter pertinent, comparare atque  
dissertationem, qualem meditatus fueras exara-  
re, compulsus, haud potuisti vel integris diebus  
atque noctibus insumtis ita satisfacere, vt po-  
tuisses maiori otio vsus minusque distractus nego-  
titiis. Quod cogitantes aequi omnes arbitri condo-  
nabunt, si non omnia exactissimo studio dare potui-  
sti. Superest vt TIBI gratias agam pro tot amici-  
tiae documentis: honoribus autem, quos dignissi-  
mus suscipis, gratuler. Ducat TE DEVS inco-  
lumem ad patrios lares, reddatque TVI desiderio  
flagrantibus parentibus & amicis. Viue & vale  
diu, mibique TE porro amicum praesta. Hala  
Magdeb. die XVI. Octobris  
cl<sup>o</sup> IcccXXXXIII.



(O)



01. A 6529


ULB Halle  
002 928 701


3



*Rehov*







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**MEDICAMENTIS RESOL-  
VENTIBVS PRÆCIPVE  
TOPICIS.**

QVAM  
AVCTORITATE GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
PRAESIDE

**D. IOANNE HENRICO SCHVLZE**

MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET PHI-  
LOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM  
ET PETRIPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-  
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS  
SODALE

PRO  
**DOCTORIS GRADV**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE  
CAPESSENDIS

AD D. OCTOBR. MDCCXLIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

**MICHAEL SEIVERT**

CIBINIO-TRANSYLVANVS.

---

*HALAE MAGDEBVRGICÆ*  
Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad Typogr.